

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia


Geber

Lugduni Batavorum, 1668

Alchymiae Veteris Medulla Ex Gebri Arabis Philosophi

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](#)

ALCHYMIÆ VETERIS
M E D V L L A
Ex
GEBRI ARABIS
PHILOSOPHI
Antiquissimi & consummatis-
simi Libris extracta,
E T
In aphorismos centum contracta.





Generoso & Nobilissimo
DOMINO
GEORGIO RIPPERDA,
Senatori Ducatus Gelriæ & Co-
mitatus Zutphaniæ, Drusoburgensi
Satrapæ.

 Ffero tibi , Generose &
Nobilissime Domine , Ge-
bri Arabis , Philosophi an-
tiquissimi , de rebus metal-
licis libros Chimicos , editionem
prioribus omnibus correcciorem &
centum aphorismis auctam , quibus
universa illa doctrina continetur ,
monumentum mei erga Te affe-
ctus & constantis multorum jam an-
norum amicitiae , quæ inde usque ab
eo tempore quo Te Hardervici stu-
diis operam hancem primum nos-
se cœpi , inviolata permanxit .

Quo-

Quoties enim cumque in priora illa tempora redeo, jucundissima mihi tuarum virtutum & erga me meritorum est memoria. Inde Leidæ de nubo conjuncti, donec Galliam Italiamque lustrandi animo peteres, nec desisti crebris literis absentia tua molestū dolorem compensare. Redux ad publica, quæ & familiæ tuae & capaci animo debebantur, admotus munia splendidissima, pristinam constanter benevolentiam continuasti.

Quæ omnia quam mihi grata, tam honorifica tibi existimans, exiguo hoc munere posteris præsentibusque testatum facere volui: Deum omnipotentem supplex rogans, ut Te diu Patriæ, familiæ, nobis etiam superstititem servet. Lugd. Batav. xviii Aug. c. I. i. c. Lxvii.

GEORGIVS HORNIVS.

PRÆ-

PRÆLOQUIVM.

Hyminia artium famosissima, post primum suum vel parentem, vel restauratorem, Hermetem Ægyptium, propagatorem nullum agnoscit antiquorem, Maura de gente Gebero. Hic enim pro ea qua polluit iudicis sagacitate & gravitate, rerumque metallicarum absoluta experientia, primus omnium, quod quidem scitur, artem hanc, ex multis aliorum erroribus, difficulter & laboriose, conjectura longa & tadiofa experientia, multorumque summi interpositione (ut quidem ipse conqueritur) collectam & inventam, literis & methodo naturæ convenienti, admirabiliter plane dexteritate complexus est. Vnde ab hoc veluti fonte sequiores avi philosophi omnes, latices uberrimos ad suos irrigandos hortulos hauserunt & derivarunt, flosculisque ex viridario hoc Arabico decerpiti, ingenii sui monumenta exornarunt

runt & locupletarunt. Testes sint ex multis Avicenna, Arnoldus, Lullius, Albertus, Rosaria diversa, Bernhardus Comes, & quicunque probioris monet & alii, in quorum omnium scriptis manifesta Gebri vestigia haud leviter impressa conspicuntur. Nec id quidem immerito. Cum enim artein quamcunque nemo docere possit, nisi qui exacte illam calleat ; hic vero ea quæ digitis suis extraxerat, oculis viderat, manibus tetigerat, scripsisse, ac nisi veritatem totalem tradiderit, maledictione dignum se profiteatur : causa nulla est, quin, (verbis & censura Ioh. Braceschi, in Demogorg.) ceteris omnibus, qui hanc subtilissimam philosophie partem aggressi sunt, cum apud veteres tum recentiores, ab omnibus veræ philosophiæ studiosis preferatur, inque hujus scriptis evolvendis & cognoscendis omne studium & tempus collocetur.

Ac licet in aperita perspicuitate obscurissimus omnium videatur D. Mejero, quæres plerosque fere omnes à lectione ejus deterret ; ipsem etiam consilium sugge-

suggerit & viam monstrat , quia quicquid objicitur difficultatis attento nec plane stupido lectori sit superandum , cum ait : Sapiens ergo artifex in nostris studeat voluminibus , colligendo nostram veram dispersam intentionem , quam in diversis locis proposuimus , ne malignis seu ignaris publicetur , & collectam probet , donec ad cognitionem studendo & experiendo cum laboris ingeniosi instantia pervenerit talis.

Itaque cum forte impetum cepisssem scripta ejus , omnium voce & stilo celebrata & laudata , evolvendi , difficile quidem initio , non tamen impossibile penitus , visum fuit , face potissimum ex aliorum philosophorum foco accensa , lucem dare ex isto sumo , & veritatem sparsim occultatam è senticetis obscuritatum in lucem pertrahere . Quod utrum assecutus fuerim nec ne , testabuntur aphorismi isti , in quos veluti cellulas quasdam & favissas , digesti quicquid melioris succi invenire licuit in Arabia hac petrea . Operam vero dedi ut omnia Gebri , aut interpretis po-

L

tius

tius à Zeno 1598. editi, verba retinerem, præterquam cum methodus & connexio aliud posceret. Evidem penitissima persuasione inducor, si quid est in Alchymia solidi & veri, aut hoc esse, quod statuit cum Gebro, unanimis omnium rerorum & antiquissimorum philosophorum consensus: aut nugas & quisquilias meras, propriaque cerebri commenta, quæcunque aliorum, recentiorum cum primis, scriptis alia mente & manu in vulgaris proferuntur.

APHO-

APHORISMI

GEBERIANI.

I.

Gibrorum Gebri, subjectum, seu Materia circa quam, est *Alhymia*, sive metallorum transmutandorum scientia, quæ est pars philosophiæ Naturalis excellens, nobilis, & gloria, iuncte preciosissima, & occultissima.

II.

Naturam enim hæc, in quibus possibile est principiis, in omnibus ejus operibus, inque omnibus rebus quæ naturæ regulantur actionibus infra Lunarem circulum ingeniose sequitur.

III.

Amatorem igitur hujus Scientiæ oportet omnia Naturæ principia causasque mineralium, & modum generationis eorundem, nec non infirmitates & imperfectiones in suis mineris, scire & cognoscere. Alioquin multum remotus erit ab hac arte, cum non habeat radicem veram super quam intentionem suam fundet.

IV.

Si enim non cognoscerentur corpora, & eorum principia in profundo suæ naturæ

L 2 & ma-

& manifesto, & si nesciremus quid superfluum in eis, vel diminutum esset in eis, necesse foret nos nunquam ad perfectio-
ne in transmutationis illorum pervenire.

V.

Sunt autem principia istius scientiae ea-
dem quae Naturae, quoad generationem
metallorum. Cum enim artis finis sit, idem
aurum quod natura, producere, qua &
qualis erat materia apud naturam, erit
etiam apud artem. Si vero materia artis
non erit eadem sed similis, non idem au-
rum naturale, sed simile proveniet.

*Naturalia naturaliter efficiuntur,
Extra naturam neutralia projiciuntur,
Ars non tentetur, naturam non comitetur,
Quod natura negat, nemo feliciter audet.*

VI.

Habet enim Natura, in metallis creandis
& formandis substantiam quandam vel
materiam terrena, ex argenti vivi & sul-
phuris mixtura conflata, unde exit qui-
dam fumus tenuissimus & purissimus, du-
plex, (albus & rubeus) qui postea per ca-
lorem temperatum coagulatur, & aqua
minerali viscosae perinxius, diuturna de-
coctione inspissatur & induratur in metal-
lum, & non secus ac metalla sic & Elixir
philosophicum, ex aqua Mercuriali & ter-
ra sulphurea, pingui seu viscosa compona-
tur, quod est totius opificii Hermeticorum
fundamentum.

Et

VII.

Et in hac operatione Natura, (quod Hermes voluit) facit de terra ascendere in cœlum, id est, rem corporalem fecit spiritualem: & descendere de cœlo in terram, id est, rem spiritualem efficit corporalem, ut loquitur autor incertus de alchym. c. 3.

VIII.

Quenadimodum vero principia sic & principiata utrobique sunt eadem. Neque enim aliud quicquam ad hoc opus requiritur quam corpus metallicum. Nam ut Bernhardus Comes recte monet, nos quoque hoc ipsum corpus accipiimus, uti & illud natura creavit.

IX.

Constat vero, omnina metalla, quantum ad radicem, esse ejusdem substantię vel materiæ, (unde & magnam ad se invicem habent affinitatem, seque invicem alterant & alterantur, perficiunt & perficiuntur) non autem ejusdem formæ, & hoc propter infirmitatem & sanitatem, munditiam & immunditiam, paucitatem & quantitatem ipsius argenti vivi & sulphuris in unione & commissione naturali, longaque vel breuem ipsius naturæ decoctionem.

X.

Hinc quæ mundiora sunt & magis extorta, atque argento vivo secundiora, perfecta dicuntur, ut sunt aurum & argentum:

cætera vero quæ contrario modo se habent, imperfecta, suntque partim mollia, ut Saturnus & Juppiter, partim dura ut Mars & Venus: *Quibus accenseretur argentum vivum minerale.*

X I.

Transmutationis igitur metallicæ subiectum adæquatum est partim corpus imperfectum alterabile, partim argentum vivum coagulabile.

X II.

Ac corpora quidem imperfecta in profundo suæ naturæ iminunda & foeda existunt, nihilque in eis fulgidum invenitur, cum secundum naturam non sit in eis. Non enim invenitur in re quod in illa non sit.

X III.

Cum ergo nihil perfecti in iis inveniatur, necessario & nihil abundans, quin potius aliquid diminutum in illis deprehendit quod compleri necessario oportet.

X IV.

Est vero diminutum in illis argenti vivi paucitas & non recta inspissatio ejusdem.

X V.

Complementum igitur in illis erit argenti vivi multiplicatio & inspissatio bona, cum fixione permanente. Tota igitur ars consistit in fixione argenti vivi, tam in corporibus quæ extra corpora considerata.

Argen-

X V I.

Argentum vero vivum est fugitivum de facilis, absque inflammatione; aliqua proin medicina eget, quæ subito ante sugam ejus in profundo illi adhaereat, illique per minima conjungatur, illud inspisset, & sua fixione in igne conservet, quo usque adveniat illi majoris ignis tolerantia, humiditatem ejus consumentis, & convertat illud per hoc beneficium in movente in solificum & lunificum verum, secundum illud, ad quod medicina fuerit præparata.

X V I I.

Finis igitur ultimus artis hujus est, naturæ defectus sarcire, & sublata infirmitate atque immundicie uniuersaque corporum imperfectorum, ipsumque argentum vivum coagulabile, mutatione firma & vera in perfectum Lunare & Solare transformare corpus. Ubi enim natura deficit, ars succurrat, & subvenit. Natura enim semper perfectionem intendit, & tum cessante extrinseco suffragio quiescit, & ulterius non procedit, ideo imperfectum producit. Ars infirmitatem respicit & tollit suo ingenio. In libro *Salomoni* adscripto.

X V I I I.

Ad hunc vero cum non possit perveniri absque medio, Medicina quadam opus & defectum supplente, & fuscedinem atque turpitudinem illam palliante & tem-

L 4 perante,

perante, fulgoremque adducente & complete perficiente

XIX.

Licet vero artifex nusquam non in ope-
re faciendo esse debeat velut simia & per-
petuus magnæ rerum matris Naturæ imi-
tator: nō tamen potest eandem in omnibus
proprietatum differentiis, ac præsertim in
principiis imitari, neque id est philosopho-
rum intentio, cum quædam sint ipsis im-
possibilia, & penitus ignota.

XX.

Etsi proinde materia sive radix minera-
lium sit arg. vivum cum sulphure, non ta-
men debemus ea accipere ex quibus sunt
corpora mineralia; sed magis debemus
istud accipere, quod est ex ipsis corporibus
naturalibus, cuius exemplum manifestum
est in plantis. Scimus enim quod genera-
tio plantæ est aqua cum subtili terreo
(quemadmodum & mineralium) & tamen
si acceperimus aquam & terram, nunquam
generemus plantam. Nō ergo accipiimus
illud ex quo est planta, sed illud quod est
ex plantis, scilicet semen illius. Quemad-
modum optime differit Alphonsus Rex
in clavi sapientiæ, cap. 2.

XXI.

Ad Naturæ igitur exemplum ex argen-
to vivo, quod in se sulphur rubeum mixtum
possidet, substantia quædam subtilissima &
fulgi-

fulgidissima per nostrum artificium genera-
randa est, in qua habitat & latet spiritus
quintæ essentiae. Ea substantia fumosa &
volatilis cum propria substantia arg. vivi-
fixa & firma, quæ est terra ipsius patiens
ignem, inque eo perseverans, figitur, &
postea per decoctionem temperatam &
continuam, secundum magisterium hujus
scientiae congelatur in lapidem fluentem,
fusibilem, tingenteum, & in igne perseve-
rantem.

XXII.

Atque hoc pacto imitatione Naturæ fe-
cit artifex ascendere à terra in cœlum
quandam substantiam corporalem in spiri-
tualem; ea substantia seu materia spiritua-
lis facta, cum postea congelatur rursum &
fixatur, inque lapidem convertitur, tunc fe-
cit descendere de cœlo in terram, & mate-
riam spiritualem iterato fecit corporalem,
ut loquitur autor incertus de Alch. c. 4.

XXIII.

Et sic patet, quod quidem natura facit
de corpore spiritum, & de spiritu corpus
in generatione mineralium & metallorum;
ita & nos in generatione artificiali lapidis
mineralis per artificium nostrum mirabile
facimus corpora spiritus & spiritus corpo-
ra. Et hoc est quod dicit Aros: Facite cor-
pora spiritus, & invenietis quod quæratis.
Idem ibidein.

L 5

Ad

X XIV.

Ad hujus vero Medicinæ apicem non uno veluti saltu, sed per gradus quosdam plurimis difficultatibus impeditos vix tandem patuit ascensus philosophis.

X XV.

Ex multiplicitatibus enim errorum, difficulter & laboriose conjectura & inventione longa, experientia tardiosa, multorumque sumptuum interpositione veritate in se collegisse, & Unicam illam veramque medicinam invenisse testatur Noster.

X XVI.

Sic igitur natæ sunt medicinæ Trium ordinum.

X XVII.

Prinâ nimirum indagine non nisi alterans leviter & pallians quædam Medicina inventa fuit, eaque pro imperfectorum metallorum diversitate varia & decuplex. Et hæc dicta fuit primi ordinis, & opus minus.

X XVIII.

Postea curis secundis accessit ulterior elaboratio, qua major quædam virtus & penetrantia addita medicinæ, ut non extream modo cutim palliaret amplius, sed & profundius penetrando tingeret, nondum tamen satis complete. Et hæc vocatur secundi ordinis, & opus medium.

Tandem

X X I X .

Tandein vero diuturni laboris instantia & magnæ indagationis industria inventa est medicina una vera, qua quidem durum mollescit, & molle induratur corpus, & fugitivum figitur, omnneque foedum illustratur splendore inenarrabili, etiam eo, qui supra naturam cōfistit. Estque hæc terræ ordinis & majus opus appellata. Et non diversificatur à medicina secundi ordinis in essentia ulla tenus, nisi per subtilissimos præparationum gradus in creatione illius & per diuturnam laboris instantiam.

X X X .

Scito autem, primi & secundi ordinis medicinas esse Sophisticas, & aurum producere Sophisticum: Tertii vero perfectam & veram, quia hæc sola tollit de cominito & imperfecto metallorum, reducitque ea ad sanitatem & perfectionem summam. Estque lapis magnus & preciosus philosophicus, summaque & Catholica illa medicina, de qua sola philosophi cæteri in suis libris scripserunt, aliis medicinis & lapidis prætermisis. Noster vero, & post eum Isaacus Hollandus, omnes simul diligenter satis explicarunt.

X X X I .

Cognito igitur sic Alchymiaæ subjecto, fine, & mediis, proximum fuerit, inspicere fontem, ex quo media ista sint exprimenda.

L 6

Hue

XXXII.

Huc vero te ducet consideratio eorum, quæ maxime corporibus adjunguntur, & amicabiliter iisdem adhærent in profundo, alterantia. Ex his enim elicetur medicina.

XXXIII.

Experientia vero docuit, spiritus corporibus magis assimilari & uniri, eo quod videntur, hos magis corporibus amicari quam aliqua alia in natura.

XXXIV.

Unde non invenerunt antiqui, neque nos, neque etiam qui post nos erunt, aliquid aliud, quod uniretur corporibus, nisi spiritus solos, vel aliquod quod naturam corporis & spiritus in se contineret. Nec in ipsis aliis quam in spiritibus videntur adhærentiam & ingressiōnem in corporibus, cum alteratione.

XXXV.

Unde conficitur, spiritus esse corporum alterationis medicinam veram, sive, quod perinde est, ex spiritibus medicinam esse creandam.

XXXVI.

Si igitur corpora, filii doctrinæ, vultis convertere seu transmutare, tunc si per aliquam medicinam fieri hoc possibile sit, per spiritus solos contingere necesse est.

Spiri-

XXXVII.

Spiritus autem dicuntur , quæcunque mineralia , in igne naturam volaticam spirituosa inque habentia. Suntque tres principales , Arg. vivum , sulphur , & arsenicum : Cæteri minus principales, ut Sal ammoniacum , marchasita , magnesia , Tutia .

XXXVIII.

Quæcunque igitur alterantur, ea vel per argenti vivi virtutem vel sulphuris, aut horum similium spirituum , necesse est alterari : quoniam hi soli communicant & uniuntur in natura ipsis corporibus , quia ipsis magis sunt amicabilia .

XXXIX.

Ex his palinariis obtinet Mercurius, ut qui præ cæteris magis amicabilis est metallis , ideoque medium conjungendi tinturas. Avicenn. Mercurius habet magis de spiritu, quam alii .

XL.

Non est enim transitus à contrario ad contrarium , nisi per medium dispensativum : adeoque non est transitus à mollitie argenti vivi ad duritatem alicuius metalli , nisi per medium , quod est inter molle & durum . Facit huc illud Richardi Anglici in correctorio suo, cap. 15. Cum conjungere volueris corpora imperfecta cum perfectis, facias medium per Mercurium , qui dissolvit & aperit naturas , ut simpliciter unum

unum possit transfire in aliud, & perfectum vim mittere in imperfectum ut secum perficiatur.

XL I.

Mercurius igitur in hac arte utramque facit paginam. Nam & Medicina ex illo creatur, & ipse coagulatione perficitur per Medicinam.

XL II.

Quod Medicina ex illo conficiatur, inde colligitur, quoniam 1. in cæteris rebus exquirentes non invenimus inventione nostra rem aliam magis quam arg. viv. corporum naturis amicari. Propterea opus nostrum in illo impendentes, reperimus ipsum esse veram alterabilium medicinam in complemento, cum alteratione vera, & non modice peculiosa.

XL III.

2. Quia, ut multa sulphuris quantitas est causa corruptionis; sic multa quantitas arg. vivi est causa perfectionis. Oime enim arg. viv. est perfectivum in operibus naturæ. Est namque adustionis salvativum, quod est perfectionis ultimum. Ipsum siquidem est quod igne superat, & ab igne non superatur, sed in eo amicabiliter quiescit, eo gaudens. Unde quæcunque videmus plus ab adustione salvari, illa plus naturæ illius possident. Et hanc ob causam ea corpora quæ forcundiora sunt arg. vivi, majoris sunt

sunt perfectionis: quæ vero steriliora, mino-
ris. Id quod patet ex facili susceptione ar-
genti vivi. Videamus enim corpora perfe-
ctionia amicabiliter illud combibere: alia
vero corpora non videimus tantam ad illud
conforinitatem habere, ideoque minus de
natura ipsis participare: Et si quæ parti-
cipant, (ut stannum,) magis perfectioni
approximare.

XLIV.

Idecirco & nos naturam minime mutan-
tes, sed imitantes, in quibus possibile est
operibus, arg. similiter vivum in hujus
magisterio assevimus in cuiusque perfe-
ctionis medicina, Solari & Lunari, tam
corporum imperfectorum, quam ipsius arg.
vivi coagulabilis.

XLV.

Cum enim arg. vivum per nostrum arti-
ficium fuerit mundatum & preparatum,
inque substantiam purissimam & fulgidissimam
reductum, adeoque in medicinam
elaboratum, projectum super diminuta à
perfectione corpora, non solum luciditate
splendoris illorum suscedinem palliando
celabit, teget, & in fulgorem convertet, sed
& fixione sua perficiet, suaque puritate
convertet & firmabit perfectione comple-
ta.

XLVI.

Laudetur igitur sublimis naturarum
Deus,

DEVS, benedictus, gloriosus & altissimus, qui creavit illud, deditque illi substantiam talem & substantiae proprietates, quas non contingit ex rebus ullam in natura possidere, ut in illa possit inveniri haec perfectio per artificium aliquod, quod in illo inventius potentia propinqua.

XLVII.

Non solum autem Medicinam ex se suppeditat Mercurius cæterorum metallorum imperfectioni tollendæ, verum etiam ipse met curari & perfici desiderat, adeoque medicinam æque ac illa opus habet, naturæ suæ conveniente.

XLVIII.

Talis vero ei convenit Medicina, quæ maxime illi in profundo ejus adhaeret, ei que per minima commiscetur, ante illius fugam ab igne, ut supra aph. 16. dictuin.

XLIX.

Ex rebus ergo ei convenientibus necesse est hanc medicinam creari.

L.

Sunt autem hujusmodi res aut corpora omnia metallica aut spiritus, sulphur putre & arsenicum.

LI.

At enim, quia nullum vidimus ex corporibus illud in sua natura coagulare coagulatione firmâ & vera; sed potius ab eis ipsum per expressionis ignem fugere, quantumcunque

tuncunque fuerit suæ convenientiæ; ideoque consideravimus nullum corpus in natura sua , in profundo illi adhærere. Subtilioris ergo substantiæ , & liquidioris fusionis necesse est medicinam illam esse , quam ipsa corpora existant.

L II.

Ex spiritibus autem similiter non vidi-
mus , illis in natura sua manentibus , fir-
mam & veram fieri coagulationem illius ,
sed fugitivam , & multæ infectionis atque
nigredinis , quod quidem contingit , alte-
num propter spirituum fugam , alterum ve-
ro ex terreæ & adustibilis substantiæ illo-
rum commixtione.

L III.

Iudeoque per hæc inanifeste relinquuntur ,
quod ex quaunque re medicina illius eli-
ciatur , ipsa necessario esse debeat subtilissi-
mæ & purissimæ substantiæ , illi adhären-
tis ex natura & convenientia sua in pro-
fundo , & facilimæ fusionis vel liquefactio-
nis , & tenuissimæ , ad modum aquæ , ceræ
vel olei , & fixæ super ignis pugnam . Hæc
enim medicina ipsum coagulabit , & in
substantiam Solarem vel Lunarem conver-
tet . Ratio istorum aphorismorum elegan-
ter discutitur à Rosario Toletano his ver-
bis : Corpus non agit in corpus , nec spi-
ritus in spiritum , eo quod forma non re-
cipit impressionem à forma , nec materia à
materia :

materia : Nam simile non agit in suum simile, cum neutrum eorum sit dignius altero. Nullum ergo eorum agit in alterum, quia pars in parem non habet imperium. Veritatem corpus suscipit impressionem a spiritu, sicut & materia a forma, eo quod apta nata sunt invicem agere & pati. Corpus itaque tingit, spiritus vero penetrat: non tamen corpus tingit nisi tingatur, quia spiritum terreum non ingreditur propter suam grossitudinem; verum tenue aereum est id quod ingreditur & tingit.

L IV.

Ex quibus autem rebus maxime haec subtilissima & purissima substantia elicetur, solet queri. Et nos quidem respondentes; narramus, quod in quibus est, ex illis elicetur. Extrahere enim ipsam a re in qua non est, hoc stultum esset cogitare, & vanum, ut quidam fatui faciunt.

L V.

Est autem tam quidem in corporibus, quam in ipso arg. vivo secundum naturam, cum unius sint reperta naturae, adeoque tam in corporibus quam in ipsius arg. vivi substantia lapidis preciosi (ex arg. viv. conficiendi) indagatur medicina: sed in corporibus difficilius, in arg. vivo autem facilius & propinquius.

L VI.

Non enim invenimus aliquid illi magis
con-

convenire quam ipsum quod suæ naturæ est. Ideoque per hoc ingeniati sumus cum eo medicinam ejus completere, quoniam natura propriam naturam amplectitur, & ea gaudet amicabilius quam extranea.

L V I L.

Videimus siquidem arg. vivum argento vivo magis adhaerere, eideinq; magis animari: post illud vero auro & argento, ex quo colligitur ipsa esse suæ naturæ imagis. Non enim arg. vivum aliud, quam quod suæ naturæ est, suscipit.

L V I I I .

Estque in ipso similiter facilis extractio substantiæ illius subtilissimæ cuin jam in actu subtilem habeat materia ppi.

L I X .

Si igitur per solum Mercurium perficere noveris opus tuum, preciosissimæ perfectionis indagator eris, & ejus quæ naturæ vincit opus.

L X .

Mundare enim poteris intime, ad quod natura non potuit pervenire. Et sic per consequens opus ex illo creabis quod omnino superabit naturam, ait Rosar. abbreviat.

Toletan.

L XI .

Concluditur ergo ex dictis, quod res quæ ultimo perficit, tam in natura, id est, in mineralibus, quam in arte sive magisterio lapidis, adeoque materia medicinæ tam

ta in corporum & imperfectorum, quam
ipsius arg. vivi coagulabilis conficiendae,
nulla alia excogitari & inveniri possit, praeter
solam substantiam argenti vivi, haben-
tem in se sulphur rubeum analogum, cu-
jus gratia tincturam praebet.

LXII.

Nam ex quacunque re Elyxir conficitur
album vel rubetum, nihil tamen ibi est
quam arg. viv. & sulphur, quorum unum
sine altero nihil agit, nec esse potest.

LXIII.

Quod vero arg. viv. suum in se habeat
sulphur occultatum, vel inde patescit,
quod in solo argento vivo, absque alicuius
sulphuris commixtione, eadem in medici-
nae confectione, quae in metallorum gene-
ratione accidat diversitas. Nam ut in mi-
neris, si super arg. viv. ceciderit sulphur non
debitae dispositionis, necesse est secundum
diversitatem illius diversas corruptiones
deduci. Ita in arte qualis erit mundatio &
præparatio arg. vivi, talis & perfectio per
illud sequetur in projectione illius super
unumquodque imperfectorum corporum.

LXIV.

In solo igitur arg. vivo tota natura metal-
lica quiescit, quia metallicum corpus non
est aliud quam arg. vivum à natura sua in-
tatum, & coagulatum, & juxta sulphuris

sibi

sibi agnati proprietatem digestum & informatum. Ew. Vogelius.

L X V .

Quaecunque autem haec tenus de argento vivo , ejusque potestate mirabili in perpetrandis miraculis rei unius Hermeticæ , dicta fuerunt , cave accipias de vulgari isto , ea forma eoque habitu sordido , quo ex officinarum loculis progreditur ; sed philosophi ingeniosi manu industria expolito .

L X VI .

Non est enim arg. viv. perfectivum *in natura sua* , ad quam ipsum produxit minera sua , sed illud quod ex ipso producitur per artificium nostrum . Non est , inquam , materia medicinæ nostræ *in tota sui substantia* , sed est Pars illius , sive materia , quæ ex materia illius sumpsit originem , & ex illo creata est . Continet scilicet arg. viv. in se spiritum internum , viventem & convertentem , qui si de potentia ad actum promovebitur , pro suo illum agnoscent philosophi Mercurio . Anonym . Vide scho- lia in Bernh .

L X VII .

Habet namque arg. viv. in natura sua duas corruptionis causas ; unam , terream , iu[m]mundam , sulphuream substantiam , sine tamen inflammatione ; aliam superfluam insitivam aquætatis substantiam . Illa ingestione impedit , & similiter colorem im- perf-

fectum & lividum dat in projectione, unde infici omnes suas coagulationes necesse est : Hæc totam medicinam fugitivam in projectione facit.

L X V I I I .

Non est igitur possibile in hoc naturaliter naturam sequi (ut nimirum capiamus illud arg. vii. à natura eatenus coagulum) sed per nostrū artificium & ingenium perfici debet. In exterioribus enim corruptio, in interioribus perpetuitas est.

L X I X .

Cum enim hæc superflua ei accidentaliter supervenerint, & non radicaliter, expoliatio istorum accidentium possibilis est, substantia argenti vivi & sulphuris radicalis permanente, quæ majoris claritatis, puritatis & fulgoris invenitur, quam ipsa corpora naturaliter in minera perfecta.

L X X .

Si igitur volumus medicinam ex illo creare , necesse est 1. superflua resecare, hoc est , illud à feculentia suæ terreitatis optimè purgare, ne in projectione lividum creet colorein: similiter & ipsius aqueitatem fugitivam delere , ne totam medicinam in projectione fugitivam faciat.

L X X I .

2. Postea medium illius substantiam dividere seu separare, quæ causa perfectionis est, tam in corporibus quam spiritibus , &

de cuius proprietate est, non aduri , sed ab adustione defendere , & quæ similiter non fugat, sed fixum facit.

L X X I I .

Est enim humiditas metallica viscosa & radicalis, quæ super omnes est huiniditates, expectans ignis calorem, eumque superans & amicabiliter in eo quiescens, eoque gaudens. Unde & Salamandra vocatur pa- sim à philosophis.

L X X I I I .

Et hæc est singularis illa substantiæ hu-
jus mediæ proprietas , divinitus ei indita,
cujusmodi non contingit ullam aliam ex
rebus in natura possidere Vid. aph. 46.

L X X I V .

Ac in hac nobilissima substantia , (quæ
est verus & unicus ille philosophorum Mer-
curius) invenitur perfectio, quantum ad ve-
ram transmutationem corporum , & qui-
dem per artificium ingeniosum. Hoc ar-
tificium ab omnibus philosophis studiosissi-
mè occultatur. Est enim secretum artis, &
clavis primaria. De hoc igitur audias o-
mnes uno ore intonantes : Nihil de hoc
magisterio tibi celavimus excepto secreto
artis , quod non licet revelare , quia fieret
maledictus in revelatione secreti.

L X V .

In nullis autem rebus melius possibiliusq;
hæc humiditas viscosa invenitur , quam in
his;

his; videlicet sulphure & arsenico propinque : propinquius autem & perfectius in argento vivo. Horum enim humiditatem non videamus terram suam post resolutionem relinquere , propter fortēm unionem , quam in opere mixtionis naturae habuerunt. [Hinc disce, Mercurium non esse in aqua in resolvendum , & terra sua virginea spoliandum. Absque hac enim foret , nulla fieret coagulatio corporis & spiritus. Vide & Bernhard. in Epist. ad Thom.]

L X X V I .

Quod autem arg. viv. habeat viscosam & densam substantiam , signum est contritio illius , cum imbibitione & mixtione cum rebus aliis. Sentitur enim in illo manifeste viscositas illius per multam adhaerentiam ipsius.

L X X V I I .

Dividere autem hanc medianam substantiam putaverunt quidam impossibile esse , propter fortēm illius mixtionei & unionem naturalem. Est enim arg. viv. (quidam & sulphur) uniformis substantiae & fortissimae compositionis. Ideoque propter nullas causas corruptionis se in partes compositionis suae dividi permittit, sed aut cum tota sui substantia in igne perinanet stans, aut ex igne recedit. Quia igitur hoc ex subtilissimo artificio dependet , cogitaverunt plerique, id fore impossibile. vid. aphor. 74.

Nihil o-

LXXXVIII.

Nihilominus tamen cum non invenerimus ipsum sine administratione alteratio-
nis naturæ illius mutare , invenimus simi-
liter ipsum præparari debere necessario,
cum non permisceatur in profundo cum
corporibus absque illius præparatione de-
bita.

LXXXIX.

Non enim illustrat , nisi fulgidissima ex
eo eliciatur substantia, cum sui modi inge-
nio , & modo suæ operationis per ignem
congruum ; nec permanet impressio ejus,
nisi figatur.

LXXX.

Per hoc ergo patet, quod ipsi talis adhi-
beatur & administretur præparatio,qua ful-
gidissima & mundissima substantia ex illo
creetur. Deinde vero figatur cum caute-
la, ut arg.viv.exercitetur artificio,in admi-
nistratione ignis , in modo suæ fixionis,
quo possit ex illo deleri humiditas in tan-
tum, quod sufficiat ad fusionem perfectam
complendam. Subtilissima & mundissima
ista essentia maxime conspicitur in auro,
quod ex illa conflatum est.

LXXXI.

Non est enim media illa substantia per-
fectionis causa corporum vel argenti vivi,
nisi figatur. Quia cum non fixa sit, licet e-
jus impressio non removeatur de facilis, non

M

tamen

tamen stabiliter perpetuat.

LXXXI.

Est vero arg. vivi præparatio , ut de mbris superfluis & defectu suppleto , talis fiat illius substantia , quæ possit permisceri ad profundum corporis alterabilis , sine separatione in æternum . Hoc autem non sit , nisi subtilietur valde . Pulchre hæc explicat Anonymus Gallus aphor . 51 . Duobus perficitur philosophica Mercurii sublimatio , superflua ab eo removendo , & deficiencia introducendo . Superflua sunt externa accidentia , quæ fusca Saturni sphæra rutilantem Jove in obnubilant . Emergentem ergo Saturni liquorem separa , donec purpureum Jovis sidus tibi arrideat . Adde sulphur Naturæ , cuius granum & fermentum Mercurii quiddam in se habet , quantum sibi sufficit , sed fac ut aliis etiam sufficiat , &c.

LXXXII.

Modus igitur purificationis & præparationis cominodior excogitari potuit nullus , nisi per solam sublimationem . Per hanc enim spiritus evadunt splendidiores & magis pervii , faciliusque corporum densitatem subintrant & penetrant ; sicque remota impuritate & superfluitate omni relinquitur pars illa , quæ in æqualitate consistit , id est , Media illa substantia .

LXXXIV.

Ne sis ergo in mundatione illius , quæ per

per sublimationem fit, negligens, quoniam
qualis erit inundatio, talis & perfectio per
illud sequetur. Apertius & clarius vix
quisquam rem totam explanavit Ewaldi
Vogelii, qui in aureo suo libro de lapid.
physici conditionibus sic scribit: Præpara-
tio hujus spiritus est ipsius subtilatio, qua
per multiplices distillationes perficitur,
donec splendore in & crystallinam consecu-
tus sit serenitatem. Cum requirunt per-
spicuitatem crystallinam philosophi, non
actu, sed potentia talem volunt, cum pos-
sit in talem liquorē verti Mercurius, id
quod tamen non petitur in hac arte. Non
igitur aliter debet perspicuus esse, quam
speculum purum cœleste. At hoc non est
ita perspicuum, ut transmittat imagines:
Sic enim non esset speculum, quippe quod
eas debet terminare & collectas reddere.
Perspicuitas igitur talis nihil aliud est,
quam nitor quidam summe purus. Hinc
liber, aureola dictus, monet, Non esse la-
borandum in diaphanitate Mercurii, id est,
ut reducatur in aquam clarām transparen-
tem, quidem multi coqui faciunt. Quia si
Mercurius fuerit redundus in talem aquam,
operi nostro inrestrinctibilis erit, nec fixa-
bitur, nec colorabitur. Lullius in codicillo:
Aqua destillatur ad perfectæ ablutionis si-
gnum, quod est splendor transparens &
fulgens, ut crystalli serenitas. Qui ad hoc

M 2 signum

HISTORIUM

signum pervenerit, Mercurium habet philosophorum, omnia corpora solventem præceptuè Solis & Lunæ, ob naturæ vicinitatem. Qua de causa subtilitas spiritus illorum densitatem facilius penetrat, & intima corporum subiens illa emollit, & tandem in Mercurium currentem convertit, putrefactione conveniente præmissa. Sapienti satis superque. Nec omittendum h. I. fuerit, quod opportune monet P. Bonus in preciosa sua margarita cap. 10. Totum opus duabus absolvit operationibus: prima fit cum manibus, estque primus gradus operis, qui fit per sublimationem & inundationem. Secunda fit cum requie, & absque labore aliquo (de qua loquitur Bernh. in parabola, cum ait se non multū habuisse laboris) estque secundus gradus operis, quod fit per fixionem & permanentiam ejus quod sublimatum & inundatum est, quia tunc agens, cum introducit formam, imponit fine in operi, & quiescit & delestat, in quo M. etiam in dīgītū, nū mīnīcōd

LXXXV. *Præparetur itaque modo iam dicto cum diuturni labioris instantia, quo omnis illius substantia purissima, alba quicquidem in Luna, cœlestina vero intensa in Sole acquiratur perfecte, non inde aetheriaq. ha. et nullisq. imp. et nullisq. LXXXVI. boni et mune-
Utrumque namq; tincturam suppeditat
meru-*

Mercur, tam Solarem quam Lunarem. Arnoldus in speculo : Totum magisterium ex una sola re consistit, & illa sola res perfecta est ad album & rubeum.

LXXXVII.

Si enim directè sublimando mundaveris & perficeris illum, erit albedinis tinctura vera & firma, cui non est par. Nota igitur, quod bene monet Arnoldus, ex Mercurio solo per se tantum Lunarem tincturam confici. Et, secundum Alb. M. ex eodem suumi fermentum, quippe quod nihil aliud est, (in hac quidem operatione) quam Mercur. coctus potatione & cibatione, ut ait Anon.

LXXXVIII.

Et quoque tinctura rubedinis, exuberantissimæ perfectionis & fulgidi splendoris, & non recedit à cominitate donec est.

LXXXIX.

Ut vero colorem citrinum creet, non completur sine additamento seu mixtione rei tingentis, quæ res est suæ naturæ. Cum enim sulphur ejus sit tenerum nimis & debile, non sufficit, nisi alterum sulphur addatur. Vid. Bonum & Libav.

XC.

Res autem hæc nulla est alia præter aurum, quippe cuius prima radix fuit multa argenti vivi quantitas, & purissima illius essentia ac subtilissima prius : postea vero

M 3

inspissa

inspissata, donec cum ignitione fusionem suscepit: Nec non subtilissima sulphuris materia, fixa, claræ rubedinis, & non aduersens, sed omne corpus illuminans & clarificans atque figens.

XCI.

Et hoc additamentum citrinantis coloris, qui à sulphuris fixi mundissima substantia perficitur, differentiam facit inter utramque tincturam: Solaris enim id inse continet, Lunaris vero non.

XCII.

Quamvis autem duplex sit tinctura, sive lapis alius ad rubeum, alius ad album; Est tamen in essentia unus lapis; & una tinctura, & agendi modus similiter. Anon. Licet sint duo in numero, sunt tamen unum in specie.

XCIII.

Manifesta igitur probatione & aperta conclusimus, Lapidem nostrum nihil aliud esse, quam spiritum fætente & aquam vivam seu siccam, per naturalem decoctionem & per verâ proportionem inundatam & unitam, unione tali, ut nihil illi adesse vel abesse possit: Quibus addi debet tertium, ad opus abbreviandum, hoc est, corpus perfectum attenuatum. Hic tu ne putas, tres esse in magisterio substantias, sed duas tantum. Spiritus enim fœtens seu sulphur non est quipiam divisum aut separatum

tum ab aqua sicca seu Mercurio; sed est pru-
rus ignis occultus in Mercurio, ut Bernh.
Hic namque in se habet proprium sul-
phur, quo in aurum coagulatur. Cum ve-
ro sulphur istud sit imperfectum, & longis-
simino tempore elaboretur à natura, ideo, ut
tempus compendifaciant, addunt ei sul-
phur perfectum philosophi, tanquam se-
men masculinum, ut ex eo sulphur arg.
vivi perficiatur. Et sic, quod natura in 1000
annis vix præstare potuit, ars cum natura
anno perficit. Ad generationem igitur la-
pidis duo semina seu sulphura requiruntur,
fœmininum & masculinum. Illud Mercu-
rio crudo & imperfecto insitum naturâ est;
hoc cocto & perfecto sulphuri. Ex illo rite
præparato prolicitur Fontina, in qua lavat
Rex metallicus; seu Azoth, qui igne ad-
miniculante abluit latonem. Reim totam
vivis quasi coloribus expressit & repræsen-
tavit in tabula sua Hermetes, quæ his con-
cepta verbis legitur apud Bernh. l. i. Res
est vera, certissima, & sine fallacia, quod
sublime est de natura insimi, & ascendens
est de natura descendantis. Conjungite il-
los una via & una dispositione. Sol ru-
beus est pater, & Luna alba est mater, &
ignis est regimen. Facite crassum subtile,
& subtile crassum, & ita habebitis gloriam
mundi, & totum vestrum optatum. Quid
vero sit superius & inferius docet No-

M. 4

lius,

Ius, his verbis : Differunt Mercurius & aurum accidentaliter : Inter metallica enim corpora aurum est suminē purum, & suminē digestum ; arg. vero vivum est impurum & suminē indigestum inter eadem. Unde dicitur inferius corpus ; illud superius. Sed superius esse sicuti id quod inferius, & inferius esse sicuti id quod est superius : Herines pater philosophorū satis perspicue in tabula sua smaragdina docuit.

XCIV.

Summa igitur intentionis totius operis per diversa capitula sparsæ hæc est, ut 1. suinatur lapis in capitulis notus, id est, Mercurius, interprete Alberto M. 2. assiduetur super ipsum (vasi vitreo inclusum cum alembico cœco) cum operis instantia labor sublimationis primi gradus, ut mundetur perfectissime lapis, (Mercur.) sive solus pro tinctura lunari, sive cum additamento suo, pro solari, donec in ultimam subtilitatis puritatem deveniat, & ultimo volatilis fiat. 3. Volatile cuin fixionis modis figatur, donec in ignis asperitate quiescat. 4. Fixum cuin modis sublimationis rursum volatile fiat, & iterato volatile fixum, quousque fluat & alteret in complemento soliflico & luniflico certo. Ex reiteratione enim præparationis resultat multiplicationis, bonitatis, alterationis diversitas, &c. Hinc quidam : O quanta spes in operationis reite-

tera-

terationibus ! quælibet enim reiteratio efficit operationem sublimiorem.

NOTA. Omnes philosophi scribunt, totam lapidis præparationem & confectio- ne in sola sublimatione consistere. Ea ve- ro duplex est, Vulgaris ; quam supra suo loco descripsit : & philosophica, quæ hujus loci propria, & inservit Mercurio- rum mundando, tum perficiendo. 1. Enim cum Mercurius præparatur per ignem suæ tolerantiae, tunc ex continuitate ignis, na- turæ convertuntur in ipso, & pars subtilior separatur in vas superius, ita ut tota pu- rißima substantia Mercurii elevetur, terre- streitate relicta, quæ ut sex in fundo rejici- da. Et talem modum laborandi tenentes, ad lapideum nostrum nihil addimus, neque minuimus, sed tantum superflua remove- mus. 2. Mercurius sic depuratus novo vi- tro inditus porro sublimationis vires expe- ditur, quæ tunc nihil aliud est quam subtri- liatio, & omnes alias sub se complectitur operationes, teste Arnaldo, in speculo : Scias quod omnes operationes, nempe pu- trefactio, solutio, calcinatio, coagulatio, fixio, sint in sola sublimatione, & sicut in uno vase, & non in pluribus vasis, quemadmodum in sola sublimatione sunt 7. operatio- nes, quas posuimus in nostro libro, &c. Et si enim Mercur. sive naturalis sive corporum perfectorum, sit fortissimæ compositionis,

tamen per continuationem ignis semper aliqua pars separatur per subtiliationem ab alia, in modum quasi vaporis, & istud, quoniam non potest in vase respirare, inspissatur, iterumque descendit, & mediante debito ignis regimine, videlicet lento, ut intentio operationis requirit, aliquam aliam partem tunc subtiliorem secum elevat, donec totum opus compleatur. Et haec omnia sunt cum uno lapide, uno vase, uno igne, ipsa etiam reiteratio sublimationis, quam urget noster. Nulli enim debet dubium esse, quin parte sic per solam sublimationem fixa & calcinata per aëreum ignem eadem pars propter plures non fixas iterum subtilietur, iterum figatur, & iterum subliinetur, ad præcisam ipsius libri intentionem, quidem optime differit Albert. M. de concord. philosoph. Cui attestatur Thomas Aquin. Lapis noster (Mercurius) cum fuerit in suam primam naturam, in primam aquam, vel lac virginis, vel caudam Draconis seinel solutus, tunc ipse lapis seipsum calcinat, sublimat, distillat, reducit, lavat, coagulat, & virtute ignis proportionati seipsum perficit in unico vase, sine alterius manuali operatione. Et haec est major intentio philosophorum in ista arte veritatem scribentium, secundum Albertum. Est vero haec via longa & tardio-sa, & vix biennio aut triennio absolvitur.

m. m. m.

z. m.

Hinc

Hinc Phœnix: Continuetur semper ignis
absque divertio, donec arg. v. siccum sit,
quod siet in duobus annis. Et Lullius: To-
tus naturæ cursus est duorum annorum.
Ergo patientia & mora necessaria sunt in
opere nostro. Sunt tamen & alia viæ ad
eundem effectum tendentes; una tamen pro-
pinquier & perfectior altera, ut ait noster.

X C V.

Hoc itaque ordine completur arcanum
preciosissimum quod est super omne hujus
mundi scientiarum arcanum, & thesaurus
incomparabilis. Et tu quidein exerciteris
ad illum cum laboris instantia maxima, &
cum diuturnitate meditationis immensa.
Cum illa enim invenies, & sine illa non.

X C VI.

Sed & illud addendum, quod monet no-
ster, in lapidis compositione artificem auri
naturalis structuram tanquam exemplar
quoddam sibi debere proponere, ut quæ-
cunque voluerit alterare, ad hujus imita-
tionem alteret.

X C VII.

Sicut enim i. aurum corpus est citrinum,
& equaliter à natura mixtum, unitum, inque
ventre terræ digestum: ita quicunq; metal-
lum aliquod radicitus citrinat, & ad æqua-
litatem perducit, ex omni genere metallo-
rum aurum facit.

2. Ut aurum ex subtilissima & purissi-
ma

ma Mercurii & sulphuris substantia constat; sic in lapidis factura nihil est, nisi arg. viv. & sulphur sufficienter & legitime depuratum.

3. Quidem in auro major est arg. vivi quantitas quam sulphuris, ita tu studeas, fili charissime, in omnibus tuis operibus arg. viv. in commixtione superate sulphur.

4. Ut aurum in prima sua creatione habuit partes subtiles & fixas, ex quarum condensatione accepit pondus: Eodem modo lapis ex fixo & volatili componitur.

5. Veluti per multam in minera & temperatam decoctionem facta est ex illo paucalativa resolutio & inspissatio bona, in ultima mixtione, ut cum ignitione liquefacat: Pari ratione Mercurius per successivam illius iterata vice sublimationem, per ignem temperatum, figitur, & fusionem dat metallicam bonam.

XCVIII.

Porro Medicina seu tinctura physica perfecta septem insignita sit proprietatibus necesse est, quarum 1. est Oleaginitas mineralis, dans in projectione subitam & universalem fusionem.

2. Materiae tenuitas seu subtilitas spiritualis, ingressum habens, & penetrans in profundum rei alterabilis.

3. Affinitas inter Elyxir & rem transmutan-

mutandam, dans adhærentiam & retentio-
neum.

4. Radicalis hic humiditas viscosa &
ignea, congelans & consolidans partes re-
tentas, cum adhærentia sui similis, unione
omnium partium inseparabili in aeternum.

5. Puritatis claritas mundificativa, dans
splendorem eminentem, à combustionē
observans, nec adurens.

6. Terra figens, subtilis, fixa, incombu-
stibilis, dans fixionis permanentiā & per-
severantiam in igne.

7. Tinctura, dans colorem splendidum
& perfectum, album vel rubrum: seu co-
lorans materiam convertibilem in verum
argentum vel aurum.

X C I X.

Ultimo medicina perfecta seu Lapis ex-
aminari debet utrum sit vere completus, &
projectionem faciat legitimam nec ne, id-
que per artifia docimastica, quorum no-
vem recensentur: Cineritium, cementum,
ignitio, fusio, super vapores acutorum ex-
positio, sulphuris adurentis commixtio,
extinctio, calcinationis & reductionis ite-
ratio, arg. vivi facilis aut difficilis re-
ceptio.

C.

Centuriam compleat, & colophonem
addat Elogium illud luculentum, Mercurio,
multorum iniquā & imperitā censu-

N

13

ra damnato & proscripto , tributum à doctissim. Libavio, Syntagm. lib. 7. cap. 27. de arg. vivo sublimato , quod hunc in modum orditur.

Multa sunt in arte chymica admiratione digna, ex quibus sapientia, potentia , gloriaque Dei insigniter elucescit , & naturae circa nos interior vultus, potestasque recondita conspici potest: Sed inter omnia vix est mirabilius artis opus quam id quod jam tractandum suscipimus (sublimationem puta) propter vires effectaque & compositionem singularem , in qua aqua illa viva ponderosa, amica metallis , per se impura, immo ventus ille admirabilis, qui nihil habet sibi in natura minerali conferendum, quasi Gorgone conspecta, nihilo minus servato pondere suo , in lapide transmutatur , qui puritate & perspicuitate sui cum quovis crystallo certas, potestate vero nihil sibi comparandum invenit. Est sumnum vitae venenum postquam est intersectus, sed non minus etiam sumnum contra venena remedium secum habet , atque adeo fieri potest omnium morborum sanabilium unicum remedium. Ignis in hoc lapide est astrus, mirabilium operum procurator admirabilis. De cuius vi si videantur omnia dicta esse, tamen adhuc restant longe plura , persuasumque est , in hac vita non posse nec explorari nec enarrari omnem ejus

ejus potestatein. Ut satius sit hanc creaturam Dei gratis animis accipere & prædicare in ea creatoris sapientiam quam plenam notitiam ejus sibi polliceri.

Et Comment. Alchem. part. 2. l. 1. de natura metallorum : Mirabilis est argenti vivi natura, adeo ut Fallopius id cum magnete, & purgantibus medicamentis, in miraculis Naturæ habuerit. Et paulò post Nihil tam anxiè, tamque studiose à chymicis perquisituin est, quām ejus natura, & coagulatio metallica, aut saltem fixio & tinctura, quod in ipso sit omnīs spes transmutationis metallorum. In quo oraculo, unanimi philosophorum consensu approbato

FINIO.



